

De Dispensationum Matrimoniorum causis veraciter exponendis, & omnino verificandis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

AD Apostolicæ servitutis nostræ ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis à Sacris Canonibus statutis impeditis, nisi ex debitis causis non concedantur, & omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui, licet immerito, Divina benignitate prædicemus.

§. 1. Sanè quidem ad Dispensationes obtinendas, ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent; quæ si ejusmodi fuerint, ut juxta Canonicas Sanctiones, & prudens Ecclesiastica Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, ejusque executio Ordinario, ut plurimum committi; cui onus incumbit diligenter inquirere, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, *secus vero*, si causæ nullatenus veritatis contentanæ sint. Si autem contingat, ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur; qui eam impetraverunt, apud negotiorum Gestores, seu Litterarum Apostolicarum Expeditores conqueruntur; à quibus nonnunquam responderi solet, executionem perperam, & injuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quædam, & Forensis styli consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum, earumque verificatio, ad substantiam, & validitatem dispensationis pertineat, illique deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.

§. 2. Id autem, ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula: *Et Oratoribus vitæ periculum immineret*: quæ cum sæpe in dispensationibus in primo, & secundo, vel in secundo gradu, & in nonnullis aliis canonicis impeditis, sine ulla ratione, causâ, & veritate expressa reperitur; Ordinarii Locorum, qui cautius, & accuratius se gerunt, nisi vitæ periculum immineat, dispensationem exequi reculant; alii vero, fortasse falso rumore induciti, quod hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentius quam necesse est procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verificato, eoque Ora-

toribus saltem verosimiliter imminere comperto, gratiam Dispensationis exequuntur.

§. 3. S. M. Prædecessor noster Pius PP. V. in sua Constitutione per viam motus proprii expedita, & publicata sub die 5. Decembris anno 1546. cujus initium est: *Sicut accepimus*; decrevit, omnes, & singulos Procuratores, tam Officii Sacræ Penitentiarie, seu Contradictarum, quam alios quoscunque Sollicitatores, & Scriptores, qui veritatem facti, à narratione, quam ab ipsis Partibus habuerunt, quoad substantialia, & qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quocumquomodo intervertunt, aut immutant, aut depravant, & per subreptionem, & obreptionem gratias à Romanis Pontificibus exorquent, penam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere.

§. 4. Hujusmodi autem constitutio quamquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, & Scriptores Officii Sacræ Penitentiarie, ubi per id temporis matrimoniales Dispensationes etiam in foro externo concedi solebant, nihilominus pro Pastoralis Nostræ, & Paterna cura ex Alto nobis commissa, hortamur, monemus, ac præcipimus omnibus, & singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus, & Expeditoribus Litterarum Apostolicarum, etiam Datarie nostræ, ut cum supplices preces pro aliqua Matrimoniali Dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam, atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitant ab ipsis Oratoribus, an hæ, & illæ causæ adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc, vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitide, ac sincere exponant; caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immurent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quæ ab Oratoribus sibi exposita fuerunt; & multo magis absteinant, ne quid falsi, aut facti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam in precibus obrudant; demum, præ oculis habentes, se operam suam in Ecclesiasticis negotiis in hac Alma Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solam ament, & sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, & favorem supplicantium, diligenterque videant, ne mendacii, aut erroris merito argui, cum animæ suæ detrimentum, possint, falso, & perperam asserentes, causas, earumque verifications, ex provida nostrorum Prædecessorum dispositione, in hujusmodi gratias, ad Ecclesiasticæ discipline vigorem, & Canonicarum legum, & Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam, apponi, & respective demandari solitas, vana, & superflua esse, & tanquam inanes Cu-

ria

riae formalitates, parvi aut nihili esse faciendas.

§. 5. Præterea hujusmodi graves abusus, quibus honor, & decus hujusmodi Urbis dehonellatur, & Sedis Apostolicæ splendori, ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes; motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatum Constitutionem S. M. Pii V. Prædecessoris nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes prædictos negotiorum Gestores, Procuratores, & Expeditores Litterarum Apostolicarum, cujuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis, & quocumque indulto, privilegio, & dignitate munitis; & quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, & innovamus; volentes, ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casibus, præna falsi contra delinquentes locum habeat; sine tamen præjudicio obligationis refundendi expensas Oratoribus, qui, ob illorum culpam, ejusmodi dispensationes, quæ executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.

§. 6. Denique omnes, & singulos Venerabiles Fratres, Archiepiscopos, Episcopos, & Locorum Ordinarios, ceterosque Executores Litterarum Apostolicarum, quibus hujusmodi Dispensationum executio committi solet, enixe rogamus, & obsecramus, ut sedulo, ac diligenter attendant, priusquam Dispensationis gratiam exequantur, an causæ in Apostolicis Litteris expressæ, & quarum verificatio eorum curæ, & vigilantia à Sede Apostolica commissa est, veræ, an fæus existant, an potius Sedi Apostolicæ falsum expositum, & veritas reticita fuerit: qua super re eorum conscientiam oneramus.

§. 7. Et quoniam in iisdem Apostolicis Litteris super Dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque præfatis impeditis, nonnulla observata sunt, quæ negotium Executoribus quandoque exhibere,

& scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicæ nostræ sollicitudinis erit, ea dilucidius, & apertius in iisdem dispensationum Litteris Apostolicis exponere, ac declarare; ut omni dubitatione sublata, & causis coram Executore hujusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicæ Litteræ Matrimonialium Dispensationum sine ulla hesitatione ad debitam executionem deduci possint.

§. 8. Mandamus quoque, & injungimus dilecto Filio nostro Pompejo Tituli S. Eusebii S. R. E. Presbytero Cardinali Aldrovando nuncupato Prodatorio nostro, ejusque Successoribus Datarie Apostolicæ Prodatoriis, seu Dataris pro tempore existentibus, ut in præmissis veris, & culpabiles repositos, pena falsi, ut præfatur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constituto summarie de non tuto accessu, aliisque dicendi, & faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinacionibus Apostolicis; statutis, & consuetudinibus, & quibusvis indultis, & privilegiis, quibuscumque personis, etiam speciali mentione dignis, datis, & concessis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, hæc paginam nostri decreti, constitutionis, monitionis, mandati, ac voluntatis infringere, vel eius ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Kal. Martias, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo primo, Pontificatus nostri anno secundo. P. Card. Pro-Dataris. D. Card. Rationens. V. de Curia. N. Antonellus. Loco Plumbi. I. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Public. die 10. Martii 1742.

CIRCA CONFESSARIOS SOLLICITANTES,
vel complicum nomina exquirentes.

Ad Tom. 2. Part. 3. per tot.

Inducuntur pœne adversus Confessarios ad turpia sollicitantes, cum præcepto eos denunciandi.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam, post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immeren-

tes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, & Pastoralem sollicitudinem adhiberi tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est Divina benignitate perfluum, per Dæmonum fraudem, & hominum, Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium;

tium; & quod in salutem, & curationem Animarum, à Deo, qui dives est in misericordia, institutum est; execrabili scelestorum quorundam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem à fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro per suas Litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 30. Augusti 1622. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provivum fuit contra quoscunque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta sollicitantes; & deinceps successivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem; plura subinde à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitionum sub die 11. mensis Februarii Anno Domini 1661. prodierunt decreta; & à rec. mem. Alexandro Papa VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die 24. Septembris 1665. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibita fuerunt; Nos itaque mature pendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, inter sit, ne aliqui Sacerdotes Penitentia Sacramento nefarie abutentes, Penitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Prædes, & Judices animarum constitutos; ea sanctitate, qua sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: Atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respectivè Diocæsis, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirent, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem penitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis

Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint; & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severe animadvertant, per condignas penas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata Constitutione tributam, procedendi cum testibus, etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos penitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo mone-re, juxta occurrentium casum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis, personam, quæ sollicitationem commiserit, etiam si Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Penitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Penitens confenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit, Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Penitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducerent, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterint, delatores spondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperitur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis poenæ coerceretur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote

quo-

quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes à Sacerdotali Judicii, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longe submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potius, quam Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundam iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum sanctionibus, hac nostra in perpetuum vilitate sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis; tamen alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, & nostra potestatis plenitudine interdicitur, & prohibetur, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi, atque inhonesta, contra extum Dealogi Præceptum commissio, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei pro præsentibus has nostras adimere intendimus; & nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, à qua absolventi potestatem Nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti complicitis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu, nullus Confessarius, ut pote qui in hujusmodi peccati, & penitentis genere, jurisdictione, ut præsertim, careat, & absolventi facultate à Nobis privatus existat, habendus

fit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi universalis, & plenariæ, necnon quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, & decretis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentibus, hæc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentibus, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant; exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensores Mysteriorum Dei: Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obuli immaculatam Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo vacent; Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpa Cælum claudatur; ne deperditæ Oves ad Ovis Domini redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi Filii egentes, & facti, ad cælestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem præsentibus Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio, ac in Aciæ Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicutque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arcare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimata fuissent: utque ipsarum præsentium Litterarum trantibus, utque exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in

jam

judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsi presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praecipii, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se no-

rit incursum. Datum Romae apud S. Mariam. Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus nostri anno primo. X. Sub Datavimus. Pro D. Card. Passione. Cajetanus Amatius, Vasa de Curia. N. Antonellus, J. B. Eugenius. Loco * Plumbi. Registrata in Secreti. Brevium Publico die 17. ejusdem mensis, & anni.

Declaratio superioris Constitutionis.

BENEDICTUS PAPA XIV. Ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo, & assiduis hortationibus, & iusta, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alteram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportune communiare, ac roborare pro eorumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non pratermittimus.

§. 1. Sane cum Nos alias per quandam nostram Constitutionem, cujus initium est: Sacramentum Penitentiae, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kalendis Junii Pontificatus nostri anno primo editam, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Saecularibus, quam Regularibus interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deliciente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicitis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi Praeceptum commissio, excipere auderet; itaut absolutio, si quam impetivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tanquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, & alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictae Constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis conjecturis,

& opinionibus jactata, in sensus à mente nostra alieno forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur.

§. 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandam praerogationem, quantum cum Domino possumus, de medio aufere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconculse observari praecipimus, & mandamus. Praeterea, habita super his cum Venerabili Fratre nostro Vincentio Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato Penitentiarario nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Penitentiariae Apostolicae Ministris, qui rem iustis nostrae mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicitem consistentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam abolere, deficientem tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdicti re ipsa, & prohiberi praedicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiam si forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, five alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem imperitari.

§. 3. Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutionem in dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exortura infamia, vel scandalo, nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si vera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo regulam statu, non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem penitentibus ob eo quoque crimines im-

imperitari. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram Constitutionem, inobedientiae, scilicet in ea praesens obnoxium, si praedictae infamiae, aut scandalosi pericula sibi altero ipse contingat, ubi non sunt: imo intelligant, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, avertentere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamiae, vel scandalo audienda. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae Constitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipsi faciendum esse dilucide mandamus, & praecipimus.

§. 4. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo se se nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae, vel scandalosi periculum timeatur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicitis, eoque in articulo, ut praefertur, constituta, sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit; quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte penitentis dispositio-

nes à Christo Domino ad Sacramenti Penitentiae valorem requiritae non defuerint: Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis peccata: Nihilominus Sacerdos ipse violatae assuetudinis temerario Legis poenas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decoratur, Nobis, & huic Sanctae Sedi reservatam incurret, prout illum eo ipso incurrit & declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in praefata nostra Constitutione volumus non obstat, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut eorundem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 8. Februarii 1745. Pontificatus nostri anno quinto.

D. Card. Passione.

Decretum adversus Sacerdotes ad turpia sollicitantes, vel Missae Sacrificio abutentes ad fortelegia.

Feria 5. die 5. Augusti 1645.

IN Generali Congregatione Sanctae Romanae, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino nostro Domino Benedicto, Divina Providentia Papa XIV. & Eminenti, ac Reverendis DD. S. R. E. Cardinalibus adversus haereticam pravitatem Inquisitionibus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis, Sanctissimus Dominus noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missae Sacrificio, ac salutaris Penitentiae Sacramento, ad Animarum reparationem à Christo Domino institutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis, etiam de necessitate exprimentae, vel in actu Sacramentalis Confessionis, five illius occasione, aut praetextu, ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missae abutentes ad fortelegia, praeferat poenas à Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter san-

ctam Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictae, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad praefata Sacrificii celebrationem; quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Praepositis, ad hoc ut de illo securi, & de praedictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta praescriptum in generali Decreto Supremae Inquisitionis diei 15. Decembris 1633. semel saltim in anno, Feria sexta post Octavam Assumptionis B. Mariae Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suis Subditos, ac Religiosos commoneandos curent, ejusdemque commoneitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant. Patulus Antonius Capellonus S. Romanae, & Universalis Inquisitionis Notarius. Loco * Signilli.

Die 21. Augusti 1745. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad vultus Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Rinaldum Sanctissimae Inquisitionis Cursorem.

Ne Confessarii à Penitentibus complicum nomina exquirant, penis statutis in delinquente, cum præfinitione ordinis in ipsos procedendi.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad futuram rei
memoriam.

Ubi primum de perverſa quadam, & absurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando apud nonnullos Confessarios in Portugallia, & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non sine animi nostri dolore, nuncium accepimus non levi aliquo, incertaque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; præmittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum, ac Ditionum Archiepiscopos, & Episcopos Apostolicis nostris Litteris, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Eam vero Litterarum die septima mensis Julii superioris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas presentis huic nostræ Constitutioni inferendas existimamus, hic tenor erat:

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam
Benedictionem.

Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, & Divina Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostræ universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicuti forte superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis præcipue Regnis, & Locis peculiari quodam Apostolice nostræ charitatis studio, auctoritative providentia consulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quammaxime floreat, callidus humani generis hostis nocere Fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in Angelum scilicet sese lucis transfigurans, & ementia boni specie, incautus illudens; qua ex arte non minoræ saepe animarum detrimenta, quam ex aggressionem manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit. In hanc autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugallia, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antistes summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præfidentis, & quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia merita debentur laudes, nuper

evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cogimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium Confessarios, salva zeli imagine, seduci se passos, sed à zelo secundum scientiam longe aberrantes, perverſam quandam, & perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando invchere, atque introducere cœpisse; ut videlicet, si forte in penitentes incidissent, socium criminis habentes, ab iisdem penitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur; sed, quod detestabilis est, denunciata quoque, nisi revelarent, absolutiois sacramentalis negatione, proorsus adigerent, atque compellerent, immo etiam complicis ejusdem nomen, sed habitatio nis insuper locum, sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opinionibus hujusmodi, vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas mele applicando, perniciosum, tam suis, quam penitentium animabus consciscerent; ac læsæ præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consequutura fore providere debuerant, reos coram Deo æterni iudicis constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est; Nec fieri potuit quin ea de causis, & oblocutiones, & scandala, & non Ministeriorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint. Tristia Nos hæc nuntiata cum accepimus, simul audivimus, contra exitum, lem hujusmodi abusum protinus iusta indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Nunum Acunha in iisdem Portugallia, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquirentem, & Thomam de Almeida Patriarcham Libonensem; atque utrumque sollicitè gliscerent malo compellendo, atque eradicando adlaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolice nostræ Ministerio deesse videretur, neve mentem hæc super re nostram apud Vos obscuram, & ambigam esse sinamus; hõrum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobendam esse, eandemque à Nobis per præſentes nostras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari, tanquam scan-

da-

dalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violacionem, atque ab ejusdem Penitentis Sacramento tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastoralis vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; suæ premi tamen Officii quoque nostri esse censuimus, alacritatem ipsam vestram hæc mentis nostræ aperta significatione, & Apostolicis in super hortationibus nostris intentius acuire, & excitare, ut pro se quisque vestrum opportuniorebus, quacumque prudentia suggererit, in initis rationibus; & efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue inſectemini, ac pæne nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus à Christo posita est, ab eoque divinæ misericordie fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas, dealbandaque in sanguine suo animas amantissime invitatur. Interea, dum à zelo vestro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis, & observantia argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberissima cœlestium charitatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo imperatimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem protinus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi possit, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Rome apud Sanctam Mariam Majoram, sub Annulo Picatoris die 7. mensis Junii 1746. Pontificatus nostri anno quinto. Cajetanus Amatus.

Has poſtro Nos Litteras in forma Brevis tunc datas iterum præſentibus nostris confirmamus, & roboramus, eaque ab omnibus, & lingulis fideliter, exacteque observari injungimus, atque præcipimus. Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam specialis, & individua, ad effectum, ut huic nostris præſentibus comprehendantur, mentione, & expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim; prout ea in relato nostro Brevis exponitur, ac reprobat; vel scribere, aut loqui præſumpserit, in ejusdem damnatæ praxi defensionem; vel ea, quæ in dicto Brevis contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos lenius temere detorque, seu interpretari; incidat ipſo facto in excommunicationem, à qua non possit, præterquam in articulo mortis ab

alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi à Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut, quæ sunt à Nobis in præſentibus Litteris decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint, & immunia; verum etiam ne quis in Sacramento Pœnitentiæ administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat; ideocirco omnibus, & lingulis Confessariis utriusque Cleri, tam Sæcularis, quam Regularis, quantumvis exempti, & quacumque speciali, & expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter, & dillicite, Divini interminatione iudicii, atque in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus, ne, conformiter ad prædictam reprobam praxim, penitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præsumant, de nomine socii, seu complicis, loco habitacionis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis expulsiorem, magisque individuum ejusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem penitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando; alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus penis fore subjiciendos.

Præterea quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, & ultres adversus reos penas imponendi, statueri, atque ordinari; omnesque super hoc exorturas, vel etiam jam exortas discessiones componere, & penitus amputare; volumus; decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim à Nobis jam reprobam, vel in ejusdem paxi defensionem scribentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in memorato nostro Brevis contentam impugnant, aut perverſe interpretantes, in Officio Sanctæ Inquisitionis prædictorum Regnorum, atque Ditionum severe puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus, ac contra ipsos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, teneant opinionem scandalosam, perniciosam, & uti tales à Sede Apostolica rejectas, & condemnatas.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus, ac statiminas contra Confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine complicis penitentem interrogantes, eidemque penitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes; Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convelitus, quæ sic agentem Confessarium de adhesionem ad prædic-

Q 2

tam

tam reprobam praxim, tanquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate susceptum reddant.

Itaque contra prædictos omnes, & singulos Delinquentes, tam sæculares; quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectionum Ordinum, Institutum, Societatum, & Congregationum Regularum, cujuscumque dignitatis, ac præminentie, aut quovis privilegio muniti existant, & quorum specialis, & nominatim mentio facienda sit, prædictorum Regnorum, ac Ditionum Inquisitores, potestate à Nobis tradita, quatenus opus sit, præsentium tenore de novo concessa, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ejusmodi excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, ac passivæ, si Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex prædictis modis deliquisse cognoverint, cum intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejusmodi Inquisitionis præfixi solitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alioquin pœnas non denunciatis per eandem Edicta infligi consuetas incurrant. Verumtamen ab hujusmodi onere denunciandi nullis de causis eximi volumus, & eximimus personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quod suum peccatum confitens, à Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicitis in eodem peccato: tunc enim poenitentem hujusmodi ab obligatione eundem Confessarium hujusmodi denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit Confessarium aliquo ex superioribus enumeratis, & Sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum, & ipse denunciare ex ista aliunde habita noticia teneatur.

Quod si Confessarii de complicitis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, nisi sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, id est is circumstantiis delictus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhesionem ad praxim in sæpe dicto nostro Brevis reprobam, tanquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum reddant; tunc illiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subiciendum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium, pro suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas

pro delicti modo animadvertere, ad Jocorum Ordinarios in sua cujusque Diocesi, omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, constitutis, ac suis unicuique Judici Ecclesiastico iuribus assignatis, & distributis; hæc Nos deinceps regulam ab omnibus observari, ac custodiri volumus, & mandamus, quæ quando talia delicta deprehendi contigerit, siæ tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente inluper præclara inlyta Lusitanæ Nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia, & obedientia, necnon eximia tum illius Sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinariorum nunquam desutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præsentibus nostris decrevimus, & constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Pastoralibus Litteris, vel decretis antehac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hæc à nobis propositam agendi, seu iudicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere jam, & cessare, ac veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Decernentes easdem præinsertas, necnon præsentibus nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant, seu alias specialis, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non contulerint, nec ad ea vocati, citati, & auditj, neque causæ, propter quas tum præinsertæ, tum præsentibus emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentibus, easdemque præfatas in forma Brevis Litteras, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, supelque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & inviolabiliter observari.

Siquæ, & non aliter in præmissis censerit, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & contra hereticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliove quoslibet quæcumque auctoritate, potestate, & præminentia fungentes, & sancturos, sub iacta eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate,

ju-

judicari, & desinere debere, ac irritum, & inane, si secus super illis à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, Edictis quoque prædicti Inquisitionis Officii, & quorumcumque Ordinariorum, etiam Episcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Litteris Pastoralibus; sive Decretis, necnon ejusdem Officii, & quorumcumque Ecclesiarum, etiam Episcopali, & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutum, etiam Societatis Jesu, aliove quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, statuta, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indulgitiis, & Litteris Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliove Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælati, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis; & cum quibusvis etiam efficacissimis, & inolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam Motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro il-

Confirmatio, & ampliatio superiorum Litterarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, & ad perpetuam rei memoriam.

Ad radicandum pravum zizanii semen, quod ad advertario generis humani in Agro Dominico sparsum, per Lusitanicæ primæ Regionis pullulare compertum fuerat, ubi nimirum apud nonnullos Confessarios, in administrando Sacramento Poenitentia, perversa quædam, & absurda praxim, Ecclesiasticis Regulis contraria, eidemque Sacramento injuriola, & ad avertendos Fideles ab ipsius salutifero usu quammaxime tendens, introduci cœperat; pro imposito Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis Litteras direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, per Portugaliæ, & Algarbiorum Regna, atque Ditiones constitutis, quas deinde per alias nostras sub plumbo expeditas Litteras, nuper, quarto nimirum Nonas Aprilis mensis Junii, confirmavimus, & innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus, & declarationi-

lorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquilita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis, & insertis, formalque hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Volumus autem, ut eandem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prokias fides in Judicio, & extra, ubique habeatur, quæ adhibetur ipsi præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis, sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum in arce Gandulphi Albanensis Diocesis anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo sexto, quarto Nonis Junii Pontificatus nostri anno sexto. *Card. Pafionius. J. Datarius. Vifa de Curia. I. C. Botchi. J. B. Eugenius. Loco X Plumbi. Registrat. in Secret. Brevium.*

bus, quas ad meritas pœnas, tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, sive docentibus irrogandas, & ad rectum, adversus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis, & Ditionibus servandum, opportune expedire in Domino judicavimus.

Earum autem Litterarum, quas ad hujusmodi erroris, & abusus reprobationem primam edidimus hic tenor erat:

Sequitur tenor Litterarum Apostolicarum, incipientium: Suprema, qua jam præcedenti Constitutione insertæ sunt.

Quoniam vero nullam Pastoralis vigilantie cautelam superfluum esse ducimus, ubi de Fidelium animarum pernicie, & de subvertenda sane doctrina integritate, & recta Sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas esse poenitentium querelas de importunis nonnullorum Confessariorum perquisitionibus, pro invelligandis complicitum nominibus, aliove notitiis, juxta praxim in præinsertis nostris Apostolicis Lit-

te-

teris relata, atque damnata; erroneas vero quorundam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes, & applicationes, in eisdem Litteris enunciatas, aliquibus aridire; nec satis eliminatas reputari per ipsas premissas Litteras, quas, utpote ad Lusitaniam Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accommodatas, & pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim, autoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo Nos, motu proprio, atque ex certa scientia, hujus nostre generalis functionis tenore, ac de Apostolice potestatis nostre plenitudine, eisdem preinsertas Litteras iterum confirmantes, & roborantes, decernimus, & declamamus, memoratam praxim in se ipsa, & ubique locorum, ac temporum, Apostolica auctoritate reprobata, atque damnata esse, & censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in prefato nostro Brevis contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire; sub penis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales à Sede Apostolica rejectas, & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesiasticis functionibus statutis, atque prescriptis.

Decernentes eisdem preinsertas, necnon preinsertas nostras Apostolicas Litteras, nullo ex capite, colore, aut pretextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & perpetuo fore, atque omnes ubique terrarum cujusvis status, gradus, ordinis preeminentiæ, & dignitatis, & tam sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolice immediate subjectionum Ordinum, Institutum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, alioque etiam speciali mentione dignos, afficere, & arcere, ac suos ubique plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & invariabiliter observari debere.

Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuncios, alioque quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & sancturos, sub lata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque scianter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis cuicumque personæ, sive Ordini, Instituto, Societati, & Congregationi; sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu, & Apostolice potestatis plenitudine similibus, in contrarium formam concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores predictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis, & insertis, formalque hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus.

Ut autem eisdem præsertim, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætereundere possit; volumus eisdem per aliquem, seu aliquos ex Curforibus nostris ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ, aliisque consuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi, & affixas relinqui; quæ sic publicate, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, arceant, & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; quoque earundem præsentium transcriptis, sive exemplis, etiam impresis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus locis adhibeatur in iudicio, & extra illud, ubique fieri eorum, quæ adhiberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel offensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, & voluntatis infringere, seu eidem auti temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1746. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno septimo. Pro D. Card. Passionei, J. Datario, Jo. Florius Substitutus. Vita de Curia. J. C. Boschi, J. B. Eugenius. Loco & Plumbi Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 5. Octobris, anni 1746.

Tribunali S. Inquisitionis in Portugallia, & Algarbiorum Regnis, adjudicatur cognitio causarum contra Confessarios exquirentes à Pœnitentibus complicitum nomina cum denegatione absolutiois.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

Apostolice Ministerii nostri partes non minus esse putamus, ad suborientes abusus eradicandos, idonea remedia comparare, quam opportunas rationes præterire, quibus servatis, ipsa exhibitæ remedia vim suam obtinere, & optatum effectum reipia edere valeant.

§. 1. Sane quum Nobis innotuisset, nonnullos esse in florentissimis Portugallia, & Algarbiorum Regnis Presbyteros Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, qui à pœnitentibus nomen personæ ipsi in peccato, quod confessi fuerant, complicitis, aliquando etiam locum habitacionis ejusdem complicitis, exquirebant, abolitionem quoque sacramentalem iis denegando, qui eorum inquisitionibus satisfacere recusarent.

§. 2. Nos Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum per ea Regna constitutorum zelum excitare non omisimus, ut omne suum studium, operamque conferrent ad eas respective Dioceses, in quibus Presbyteri sic delinquentes existerent, à tam pernicioso malo liberandas, ex quo obloquutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta erant: Rejicientes simul, ac reprobantes prætextus illos, quibus hujusmodi Confessarii interrogantes, sese tuebantur; desiderii nimirum emendationis ipsius complicitis; necnon quorundam opinionum, quæ apud aliquos Doctores reperte fuerant, & quorum aliquæ, aut falsæ, aut erroneæ censendæ erant, aliæ autem per se veræ, & sanæ, ab ipsis sic delinquentibus perperam applicabantur; ut latius videre est in nostris Litteris Apostolicis die 7. mensis Julii anni Domini 1745. editis in forma Brevis, quarum initium est: *Suprema omnium Ecclesiarum*, quæque impressæ sunt in *Bullarii nostri* Tom. 1. num. 134.

§. 3. Has Litteras sub Annulo Piscatoris primum expeditas, in forma specifica deinde confirmavimus, & ampliori robore communivimus per alias nostras Apostolicas Litteras sub plumbo editas 4. Nonas Junii anni 1746. incipientes: *Ubi primum*, quæ etiam impressæ leguntur in Tom. 11. *Bullarii nostri* num. 8. His autem posterioribus Litteris, non solum Tribunali Sanctæ Inquisitionis predictorum Regnorum, atque Ditionum injunximus, ut contra eos severe procederet, qui priora Decreta nostra impugnare, aut perverse interpretari ausi

fuissent, sed etiam contra Confessarios de nomine complicitis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, nisi illud sibi manifestaverit, abolitionem denegantes; dummodo tamen hujusmodi interrogandi, & denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convectus, quæ sic agentem Confessarium de adhesionem ad prædictam reprobata praxim, tanquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

§. 4. His coherentem addidimus præceptum denunciandi Confessarios, aliquo ex (supradictis modis delinquentes eidem Tribunali Sancti Officii intra terminum dierum pro aliis denunciacionibus à eodem Officio præghi solitum; exemptis dumtaxat, ex justis, gravibusque causis, ab hujusmodi denunciacioni onere personis pœnitentium in causa propria, id est in casu, quod ipsi peccatum suum confitentur, à Confessario adigerentur ad sibi manifestandum nomen complicitis in eodem peccato; statuentes tamen, quod quando aliunde, quam ex propria confessione, novissent Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denunciacionis modis deliquisse, tunc eum, & ipsi denunciare ex ista aliunde habita notitia tenerentur.

§. 5. Et quoniam id etiam evenire posse profeximus, ut Confessarius aliquis pœnitentem de complicitis nomine interrogando, atque etiam manifestare volenti abolitionem negando, id faceret imprudenti certe, ac malo, sed tamen simpliciter quodam, & hudo actu, id est iis circumstantiis destituito, quæ de prava credulitate, vel de mala adhesionem ad praxim in nostro Brevis reprobata tanquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum redderent; ideo in ipsis posterioribus Litteris declaravimus, in hujusmodi casu, neque Confessarium predicto Inquisitionis Officio denunciandum necessario fore, nec ejus delictum ejusdem Sancti Officii, & Tribunalis cognitioni subiectum esse, sed ad cujuslibet Ordinarii in propria Diocesi judicium, & correctionem pertinere; proit in ipsis secundo loco memoratis Litteris latius habetur expressum.

§. 6. Sic igitur justis respective statutis finibus, tam jurisdictioni Tribunalis Inquisitionis, quam Ordinariarum Præsulum auctoritati; persuasum Nobis fuit, certam, & tutam rationem procedendi contra Sacerdotes in Sacramenti Pœnitentiæ administratione, ut præsertim, delinquentes assertam per Nos fuisse. Verum quum deinde Nobis ex parte nonnullorum Ecclesiasticæ pacis zelo flagrantium fuerit insinuatum, in hujusmodi methodi executione novis perturbationibus proculdubio aditum apertum iri

propterea quod nemo esset, qui in casibus discrepantiae iudicium proferret; quoniam delicta idem in certis quibusdam circumstantiis ad Tribunal S. Officii, in aliis vero ad Ordinarii iudicium deferendum fore statueramus; ac praeterea demonstratum Nobis fuerit, quod, dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisitionis Officio sciendum, id sane sublatum dici poterat quo maxime homines a peccando tam pernicioso, & profligato delicto retraherentur. Idcirco Nos, praedictam iterum perverfam praxim in utriusque praefatis Litteris nostris reprobata, atque proscriptam, eorum nempe, qui in administrando Penitentiae Sacramento, complicitis nomen, cum absolutionis denegatione, quatenus reticeatur, a penitente rescire contendunt, praesentium quoque tenore damnant, & reprobant; necnon confirmantes ita-tutum pertinentiam cognitionis huiusmodi causarum praedicto Inquisitionis Officio, quoties delinquentis actus iis circumstantiis, quas in secundo dictis Litteris nostris latius expressimus, conjunctus exultat, necnon obligationem denunciandi eidem Officio Confessarium quemcumque, huiusmodi delicti memoratis circumstantiis confessi reum; excepta tamen ab huiusmodi denunciationis onere ipsa persona penitentis in causa propria, juxta id, quod in ipsis praefatis Litteris per Nos decretum, & in praesentibus superius relatum fuit; ad reliquas in futurum perturbaciones avertendas, & praevendas, omnibus mature pensatis, auditisque prudentium virorum, & in illis rebus apprimo peritorum consiliis, nostris motu proprio, & certa scientia, sequentes ordinationes, & leges ab omnibus, ad quos respective pertinet, & pertinebit in posterum, omnino tenendas, atque observandas, eandem praesentium tenore, & Apostolica auctoritate edicimus, & promulgamus.

§. 7. In primis itaque, exceptis dumtaxat personis penitentium in causa propria, ut supra declaratum est, quas quidem iustis ex causis ab omni denunciationis onere eximimus, & pro exemptis in tali casu semper haberi decernimus, omnibus, & singulis, qui Sacerdotem aliquem sive Saecularem, sive Regularem, (cujuscumque gradus, & conditionis, & cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialis, & individua mentione digni, ad hoc, ut praesenti sanctione comprehendantur, existat) quocumque alio modo, praeterquam ex ipsa Confessione a semetipsis apud eum peccata, cognoverint in administrando Penitentiae Sacramento interrogasse penitentem de nomine complicitis, eidemque indicare recusanti, absolutionem denegasse; sive id fecisse intellexerit propter adhesionem praedictae reprobatae praxi, aliave de causa corruerit opinionis suspitionis ingerente; sive id etiam per imprudenciam egisse, & per actum praefatis delictum circumstantiis, propter quas, juxta praecedentem Constitutionem

nostram, praedicto Inquisitionis Officio esset denunciandus, & quibus deficientibus, juxta ipsius Constitutionis tenorem, ejus delicti cognitio ad Ordinarii Tribunal spectare debeisset; injungimus, & mandamus, atque in virtute sanctae Obedientiae, sub eidem penis, quibus ad debitas aliorum delictorum denunciations adstricti sunt, praecipimus, & jubemus, ut huiusmodi Confessarium quocumque modo in praemissis delinquentem, saepe dicto Sanctae Inquisitionis Officio intra consuetum praesentis temporis spatium omnino deferant, & denuncient.

§. 8. Ubi vero Sacerdos delinquens eidem Sancti Officii Tribunali denunciatus fuerit, vel etiam illius carceribus inclusus, quatenus probationes ad incarcerationem sufficientes habeatur; si forte Ordinarii illius, cujus jurisdictioni reus subiectus erit, Procurator in ipso Tribunali Sancti Officii de more interveniens eas adesse circumstantias crederit, ob quas delicti cognitio juxta praecedentem Constitutionem nostram ad Ordinarii forum spectare deberet; ac propterea insisterit, se super huiusmodi pertinentiae articulo ulterius, aut fuisse audiri, vel etiam scripto easdem circumstantias, & rationes exponere, suaeque Curiae juraverit se velle declaraverit; volumus, & statuimus, ut juxta ejusdem Tribunalis consuetudinem, satis temporis illi adhibendam assignetur; neque interea eidem Tribunali ad alium irretinabilem, multoque minus ad definitivam sententiam adversus reum devenire possit, donec idem Procurator, intra praescriptum sibi tempus, jura Curiae Episcopi constituentis sibi, vel voce, vel scripto exposuerit.

§. 9. Quoties autem praefatus Ordinarii Procurator controversiam de pertinentia causa proponat, eamque examinari possit; tunc volumus, in ipso Sancti Officii Tribunali huiusmodi examen fieri; nec omitti posse, absque totius consequentis processus nullitate. Simul autem omnibus, & singulis tam ejusdem Officii Inquisitoribus, & Consultoribus, tam ipsis Ordinariorum Procuratoribus districte mandamus, ut deposita quacumque animi affectione, aut praecipitatione, qua erga proprium respective Tribunal facile ferri possent, eorum Deo disquirant, ac videant, an reus de praefato delicto inquisitus, illud cum ejusmodi circumstantiis patriverit, ob quas illius casus, juxta praecedentem Constitutionem nostram, ad Inquisitionis Tribunal pertinerere deberet; an vero cum aliis, quae causam ipsam ex ejusdem Constitutionis lege in Ordinarii Foro judicandam constituunt.

§. 10. Prologo demum ab Inquisitoribus iudicio super causa pertinentia, volumus, & statuimus, ut si quidem causa ad iudicium fuerit Tribunali Sancti Officii, in huius potestate reus permaneat, & juxta ipsius Officii leges, & regulas puniatur; si vero iudicatum fuerit, causam ad Sancti Officii Tri-

Tri-

Tribunal non pertinere, idem Officium, ut ejus fuit consuetudo, reum dimittat, & Procurator de reo ita dimisso certiore faciat Ordinarium sui constituentem, ut ea accepta noticia, adversus eundem reum servatis servandis juxta Canonicas sanctiones possit procedere. Si quis autem praemissum Iudicii huiusmodi ordinem a Nobis per praesentes constitutum pervertere, aut turbare ausus fuerit, novarit, se omnibus Canonice penis subiectum fore, quacumque in Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus, adversus Ecclesiasticae jurisdictionis perturbatores, violatores, & invadentes latae, & statuta dignoscantur.

§. 11. Praesentes autem Litteras, omniaque, & singula in ipsis contenta, atque statuta, etiam ex eo, quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, praesentiae, & dignitatis existant; seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consentiant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauti, propter quas ipsae praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, & iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliave quolibet defectu, notari, impugari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas praesentes Litteras semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis praemissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & inviolabiliter observari decernimus.

§. 12. Sicque, & non aliter in praemissis censeatur, atque ita per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra haereticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliave quoslibet quacumque auctoritate, potestate, & praesentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecerit super iis a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obstantibus aliis praemissis nostris, aliisque quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & quoruncumque Tribunalium, Curiarumve mandatis, Edictis, sive Decretis, necnon ejusdem Inquisitionis Officii, & quoruncumque Ecclesiarum,

etiam Episcopatum, & Metropolitanarum, & quoruncumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, iuribus, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commisariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Praelatis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis; & cum quibuscumque etiam efficacissimis, & insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam motu, & Apostolicae potestatis plenitudine similibus, seu ad quoruncumque personarum, etiam Regiae, aliave qualibet mundanae, vel Ecclesiasticae potestatis fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, quatenus iidem praesentibus adversentur, etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoris specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut alia iniquita forma ad hoc servanda foret, tenores praedictos non sufficerent, & de verbo ad verbum expressis, & insertis, formasque huiusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

§. 14. Volumus autem, ut eandem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, ubique habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, moderationis, ordinationis, praecipii, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo nono, quinto Idus Decembris, Pontificatus nostri anno decimo. *D. Card. Pastorensis, J. Dataris, Visa de Curia, J. C. Boschi, J. B. Eugenius. Loco X. Plumbi. Registrat. in Secretaria Bre-*

R

CIR-